



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXLVIII. Octo Beatitudines proponit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCXLVIII

*Octo Beatitudines proponit.*

Matth. 5.

**P**UNCTUM I. In hac prædicatione Christus totam Perfectionem hominis octo gradibus distinguit quorum quatuor ducunt ad perfectam Dilectionem DEI; alij quatuor ad perfectam Dilectionem Proximi; omnes Octo autem ad perfectam Beatitudinem hujus & alterius Vitæ. Ad perfectam Dilectionem DEI ducit. 1. Contemnere omnes creaturas, in quantum nullum ad DEVM ordinem habent, & ad eorum Possessionem obtinendam nobis minùs conducunt. Non gaudere nisi de eo, quod ducit ad DEVM; tristari de omni eo, quod abducit à DEO. 3. Vehementissimè desiderare Virtutem. 4. Et æqualiter versari omne peccatum. Itaque aperiens Christus os suum, dixit: *Beati Pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Celorum. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt Iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati Mundo Corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.*

**PUNCT.** II. Ad perfectam Dilectionem Proximi ducit. 1. Mansuetudo, cohibens iram tum internam, tum externam adversus Proximum. 2. Misericordia dolens, impediens, & removens omnem malum, & miseriam Proximi. 3. Pax fugiens omnem dissensionem, contentionem, læsionem, aversionem, æmulationem, invidiam, & quidquid nos à Proximo, vel Proximum à nobis alienare potest. 4. G

JUM

nerosa, imò læta animi Fortitudo in ferendo quovis malo à proximo nobis illato. Hinc rursus Christus aperiens os suum, dixit: *Beati Mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati Misericordes, quoniam ipsi Misericordiam consequentur. Beati Pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter Justitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Beati estis, cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis.*

PUNCT. III. Considera, octo his recensitis Beatitudinibus semper promitti eandem Beatitudinem, quâ Beati in cælo fruuntur, eò quòd sine hac nemo Beatus dici possit; illa enim est possessio Regni Cælorum & Terræ Beatæ (per Terram lacte, & melle manantem olim Judæis præfiguratæ) illa est Solatium lugentium, Satietas esurientium ac sitientium, Misericordiæ consecutio, Visio DEI, Portio hæreditaria, ad quam Filij DEI vocantur. Cum ergo extra hanc nulla alia vera Beatitudo sit, nulla alia querenda est. Ea verò rectè singulis enumeratis Virtutibus promissa est; quia nulla earum perfectè haberi potest sine perfecto DEI Amore, quo vel Deus amatur propter se, vel Proximus propter DEVM: in hoc enim omnes radicanter, & ex eo originem trahere debent. Incipit tamen jam in terra hæc Beatitudo possideri, scilicet per certitudinem Spei, & per quandam etiam imitationem ac participationem Gaudiorum & Solatiorum Spiritualium, & Quietis animi: quibus omnibus privant vitia opposita, ut consideranti patebit.